



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Vita Ioannis militis Alexandrini. Capvt. LXXIII.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

aspiciam contra Saturnum. Cùm verò audissent blasphemiam senis, omisso adolescente, senem primo suspendunt. Cùm vero illum in ligno suspenderet, Ecce equus ab Augustali celeriter missus, ait militibus: Adolescentem nolite interficere, sed reducite illum. Factum est autem ingens gaudium militibus, & cunctis assistentibus. Et reducentes eum, introduxerunt in praetorium. Absoluitq; illum Augustalis. Adolescentis verò praeter spem saluus factus, abiens monachus effectus est. Hoc autem ad nostram, & legitimum utilitatem scripsimus, ut sciamus, quia novit Dominus pios à tentatione liberare.

Vita Ioannis militis Alexandrini.

C A P V T. LXXIII.

HOC etiam nobis idem Abbas Palladius narrauit dicens: Erat in Alexandria miles quidam, Ioannes nomine, hunc habitum ordinem vitæ. Diebus singulis à mane usque in horam nonam sedebat in monasterio solus iuxta gradus sancti Petri, cilicio indutus, & sportellas texens, tacens omnino, & nulli quicquam loquens. Sedebat autem laborans manibus suis, atque hoc solum canebat dulciter: Domine, ab oculis meis munda me, ut non confundar, orans. Hinc versus cùm dixisset, vna fermè hora tacebat, & rursus eundem resumebat versus, ipsumque septies per totam diem repetebat, nihil omnino aliud dicens. Hora autem nona exuebat cilicium, induebatque militarem habitum, id est indumenta sua, atque ita ad propria signa properabat. Cum hoc & ego annos octo mansi, multumq; edificatus sum in silentio suo.

Eiusdem